



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)



TRACTATUS UNDECIMVS.

De quatuor Virtutibus Cardinalibus & vitijs oppositis.

Ad quæstionem 57. D. Thomæ, & alias sequentes.

PRÆFATIO.



NON satis de virtute bene mereri me arbitrarer, nisi post explicatas & commendatas virtutes Theologicas, brevem Synopsim & compendiosam tractationem subjungerem virtutum moralium, ac præcipue earum quas Cardinales vocant, quibus cetera veluti cardinibus innituntur, & quæ cujusque sortis hominum negotia omnia & otia moderantur. Quare hoc unicum erit Disputationum quas aggredior Argumentum: Virtutum scilicet quatuor moralium, quæ principem locum obtinent, & earum omnium Quæstionum, quas supra centum D. Thomas in secunda secunde instituit, expedita & dilucida explicatio. Atque ut primum à nomine incipiam: solent hæc virtutes Cardinales vocari, quod inter ceteras morales præcipue sint, & primaria actionum nostrarum moderatrices, eâ prope ratione, quâ D. Gregorius domorum vel Ecclesiarum prepositos & rectores Cardinales nuncupavit, & quod solet dici ad alios regendos præponi, ipse iniustato vocabulo, incardinari vocavit.

Quod verò ad partitionem attinet: quatuor esse duntaxat eas virtutes omnino necesse est, cum potentia & facultates animæ virtutum capaces, quatuor duntaxat sint, quarum qualibet earum virtutum unam sibi vendicat, velut aliarum, quæ in eadem facultate recipiuntur, immobilem cardinem. Prudentia ceteris superior, in prima & principe potentia, scilicet intellectu, sedem obtinet: Justitia voluntatem regit, fortitudo appetitum irascibilem coercet, temperantia concupiscibilem moderatur. Jam verò si earum officia & munera exigas, ita paucis accipe. Prudentia rationis rectitudinem in rebus omnibus constituit: Justitia aequalitatem efficit in his operationibus quæ circa alios versantur: Fortitudo robur & firmitatem habet, quibus timores compefcit, & pericula non deiebat: Temperantia demum eas appetitiones, quæ in delectabile bonum toto impetu feruntur, veluti injectis habenis moderatur.

Hæc, quæ ad nomen, partitionem, & munera virtutum Cardinalium attinent, paucis explicari potuerunt. At quis eas laudes, quibus Sancti Patres eas virtutes exornarunt, vel integro volumine complecteretur? Sed cum non minùs indecorum esset omnes præterire, quàm difficile omnes prosequi: quasdam leviter & veluti summâ manu decerpam. D. Gregorius Cardinales virtutes egregiè quatuor spiritualis edificij angulos vocat, quos si contingeret turbinibus concuti & everti, domus tota pessum iret. D. Nilus eas esse dixit quatuor aromatum species, quibus celeste Thimiam conficitur, & quæ caelestes animas, mentesque, ac Deum ipsum, gratissimo odore perfundunt. Hildebertus Cenomanensis quatuor rotas vocat currus mystici, quo anima post partam victoriam in speciem triumphi vehitur. Olympiodorus quatuor Cardinales ac præcipuos ventos, quibus animæ regio perflatur, ut inde

2. Moral.
cap. 3.
l. de Orat.
cap. 1.
Epist. 31.
In cap. 1. E. 1. c. 1.

PRÆFATIO.

aromata largissimè fluant. Sed demum fufius D. Ambrosius quatuor virtutes Car- Lib. de
Parad.
cap. 3.
dinales, quatuor spiritualis Paradisi fluentia vocat. Confert enim sapientiæ & vitæ
fontem, ut Scriptura vocat, cum celeberrimo illo Paradisi fonte; atque ut quatuor
insignes fluvij, Phison, Geon, Tygris, Euphrates, è Paradisi fonte manabant, amæ-
nissimam regi nem rigaturi: ita virtutes (inquit) quatuor Cardinales, ad irrigan-
dam & fecundandam tellurem animæ, è Sapientiæ fonte dimanant. Sed postea, eâ
collatione semel institutâ, earum virtutum cum his fluminibus analogiam eleganter
& fusè prosequitur. Prudentiam, inquit, per Phison velut per imaginem aut sym-
bolum quoddam expressam fuisse, ob insignes divitias, pulchritudinem, & obli-
vationem quam animæ confert. Geon temperantiam refert: ut enim hîc fluvius
Æthiopie terram alluit, ita temperantia abluit corpus abjectum, & carnis vi-
lissimæ restinguit incendium. Fortitudinem Tygris rapidissimus representat:
Hæc enim quodam cursu rapido resistentia quæque tranverberat, nec ali-
quibus curlus ejus impedimentorum hæret obstaculis. Demum justitiæ spe-
ciem aliquam Euphrates exhibet; quod vel solo Euphratis nomine fecunditas, uber-
tas, letitia, designentur. Quid verò justitiæ virtute felicius, quæ virtutum est fæ-
cunda propago, quæ fructuum honoris & honestatis abundantia animam pascit,
quæ demum summâ letitiâ, tum ipsum qui eâ præditus est, tum & ceteros etiam
perfundit? Sed nefas esset non aliqua D. Ambrosij verba subnectere. Hæc pauca ac-
cipe. Fons vitæ (inquit) sapientiæ, fons gratiæ spiritualis, ita fons virtutum
est cæterarum, quæ nos ad æternæ curlum dirigunt vitæ. Ex anima igitur
quæ culta est, fons iste procedit ut irriget Paradisum, hoc est quædam diver-
sarum fruteta virtutum, quarum sunt initia in quæ sapientiæ dividitur. Quæ
sunt quatuor initia ista virtutum, nisi unum prudentiæ, aliud temperantiæ,
tertium fortitudinis, quartum justitiæ? Itaque sicut fons est sapientiæ, sic flu-
mina quatuor sunt fluentia virtutum &c. Item lib. 1. de officijs cap. 24. postquam
Abraham, Joseph, Job, & Davidis varias recensuit virtutes, ut coronidem illis
imponat, addit: Quod his viris principalium virtutum officium defuit? Qua-
rum primo loco constituerunt prudentiam, quæ in veri investigatione versa-
tur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem; secundò justitiâ, quæ suum
unicuique tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut
communem æquitatem custodiat; tertio fortitudinem, quæ & in rebus bel-
licis excelsi animi magnitudine, & domi eminet, corporisque præstat viribus;
quarto temperantiâ, quæ modum ordinemque servat omnium quæ vel
agenda vel dicenda arbitramur.

